

W.R.

Y94⁸
qu

22
787.
JESU BENEDICENTE!

VISUM,

Inclutæ ac Gratosissimæ Facultatis

Medicæ in Illustri Salanâ indultu,

P R A E S I D E

V I R O

Nobilissimo, Excellentissimo
atque Experientissimo

DN. GEORGIO VVOLFF-
GANGO WEDELIO,

Med. D. Theoret. P. P. Medic. Ducal. Sa-
xonic. & S. R. I. Acad. Nat. Curios. Collegâ, p. t. Facultatis
Medicæ Decano undiquaque supra laudem
spectatissimo,

Domino Patrono atque Præceptore
et eternum devenerando,

Physiologicè examinandum
in Auditorio Medicorum.

ad d. Junii A. R. H. 1674.

placidæ Philiatrorum disquisitioni fistet.

A U C T O R

JOHANNES BURG/VRATISLAV. - SILES.

J E N Æ , LITERIS KREBSIANIS.

788

IESA BENEDICTIONE

MUSIV

Inclusus ac Gisclorius Esculatis Medicis Inullus i. Sane iugulari

PRESIDE

285

and *littera* *z*. *littera* *v*.

ΕΙ ΤΟΥ ΟΙΓΩΝ ΕΙΔΗΣ

GANDE WED

Whey, D. J. Heijer, B. B. Maedje, D. Niess, S.

Miss Deacon and Mrs. George Jackson

THEATRUM MUSICOLOGICUM ET CECILIOGRAPHICUM



789

J. B!

Uantò obscurior Animæ Essentia & cognitio , tanto admirabiliores sunt Ipsius Operationes . Cæterarum alias fit mentio ab aliis uberrima , de sensu visu si d nunc dicere liceat , Auctores , quotquot de eo consumimus , in stuporem Ejus conjici . Dei nomine Visum dignatos fuisse Stoicos ; Formæ , Theophrastum , Auctor est Rhodigin . lett . antiq . l . 3 . c . 18 . Frœstra crederetur tantâ pompa exstructus Mundus ; Lucis & colorum nullus esset usus : si divino munere destituta viverent Animalia .

Visus beneficio vitam à morte distinguit Ratio ; motum localem exercet Anima ; distractissimas orbis partes peragrat Homo , uni tantum loco affixus alias mansurus . Visu commodis nostris prospicimus ; imminentia malorum tela declinamus ; insidiatorum mentes non raro expiscamur . Visorio Organo clauso , vel ablato , carcerem cum Platone corpus nostrum non immerito salutamus . Cœcos , quod insignia Majestatis videre , aut revereri nequeant , à postulatione excludunt Jureconsulti .

Visu intercepto quanta enafcatur infortuniorum Lerna , satis cognovere Philistæ , Simsonis oculos eradentes ; Ulysses , Polyphemum excœcans , Quid , quod Divini Platonis , Peripateticorum Principis , Aristotelis , & ipsius experientia asserto nos Visu adminiculante in rerum optimarum cognitionem pervenire , indeque Philosophiam primò ortam fuisse , non possit non esse notissimum .

Totus oculus sit oportet , cui sensus exquisitissimi emolumenta perspicere ; totus Lingua , cui ejusdem elogia exactè sistere

A 2

790.

fistere fuerit collibitum. Paucis ut multa complectamur ;
quò ex omnium animæ operationum numero plus eminent
sensus ; hòc sensu quoconque eminentior primatum sibi &
sceptra dignius postulat Visus. Superet necessitate reliquos
Tactus, omnibus palmam præripit nobilitate Visus. Quin-
que sensuum maximus est in oculis : nam cum sensus nullus ,
quod abest mille passus, sentire possit , oculorum sensus , Vi-
susque ad stellas pervenit.

Movit tám jucunda, tám necessaria , totique vitæ utilissima functio animum metam , ut naturam ipsius penitus indagare constituerem. Terruit, fateor , ab initio ardui negotii moles nonnisi Atlanticis humeris sufferenda ; retraxerunt Lynceorum Physicorum querelæ de infelici in scrutinio Visus successu. Jactam tamen aleam retrahere nolbam , vulgata in primis nixus parcemâ : In magnis voluisse sat est.

Misso itaque ulteriori præfamine rei ipsius tractationem aggredior ; cui proposito ut oculi omnia tuentes radio suo gratiose adesse non dedignentur , spe indubia sufful-
tus, voveo.

CAPUT I.

Definitionem Nominalem & Rea- lem exhibens.

PAUCISSIMA Nomen Sensus nostri consideratu digna præ-
bet. Interea ne ἀκέφαλοι veluti videatur Dissertatio, ea
non prætermittimus.

Audit notione communissimâ VISUS, vel VISIONE,
quarum illâ actum primum ; hâc actum secundum denota-
ri volunti, quibus circa vocabula placet esse accuratio-
ribus. Visione tamen nonnunquam pro aliquo objecto sive
spectro usurpata legitur. Græci vocant οὐεῖν, quo nomine
ipsis quoque non raro oculi veniunt, sive ab οὐεῖν, quod o-
culum significet, sive ab οὐεῖν, VIDEÔ, deductâ origi-
ne.

ne. Aspectum vocat *Parisan de Subtil.* l. X. Exerc. 1. c. 1. Germanice dicitur das Gesicht / oder das Sehen. 79a

Princeps & propria vocabuli acceptio in exprimendâ rerum visibilium receptione & cognitione obtinet ; per analogiam verò frequenter ad animi meditationes , & speculations ab Arbitris Lingyæ Latinæ transfertur. Evolvi de his possunt *Lexicogmphi*.

Majus momentum in explicatione rei ipsius , & definitio-
tione situm est. Concordes circa hanc Auctores ferè omnes
offendimus , ex quorum Scriptis talem fistimus : **VISUS**
E S T S E N S U S E X T E R N U S , S P E C I E S R E R U M V I S I B I -
L I U M P E R M E D I U M D I A P H A N U M O C U L I B E N E F I -
C I O R E C I P I E N S , E T C O G N O S C E N S .

Generis ratio in aprico videtur constituta : de cæteris,
quæ explicationem merentur, in sequentibus erimus sollici-
ti, ne iis jam immorāmur.

CAPUT II.

Organum & Subjectum Visus evolvens.

VISUS O R G A N U M & Sedes sunt o C U L I , animæ fenestræ,
quos eousque laudibus prosequuntur Galenus l. 8. de U.P.
c. 5. & Vesalius corp. hum. fabr. l. 1. c. 5. ut eorum gratiâ caput
esse conditum afferant.

Cùm verò manifestissimè pateat, oculos esse partes cor-
poris dissimilares , & organicas , easque , è quibus ipsæ com-
ponuntur , (constructio verò hæc est admirabilis ,) diverso
modo ad visum concurrere , cultro Anatomico erunt diffe-
candi, ut partes ipsorum integrantes melius cognoscantur.

NO M E N Philologis expediendum relinquentes , sive
ab oculendo , s. quasi ὄψεως θέλαμος , visionis sedes dicantur ,
N U M E R U M oculorum si attendimus , is in omnibus animali-
bus est binarius. Naturam hoc pacto vel inopino alterutrius
detrimento tempestivè succurrere , vel visum exactiorem
reddere constituisse multi persuadent Scriptores , quan-
quam & ii , quibus unico tantum oculo visum omnem ab-
solvi placet , id tantum intendisse Creatorem volunt , ut

792

oculo dextro, occurrentibus ab isto latere, sinistro, à sinistris incidentibus incomm odis prævideremus, quam hypothesin ex J. Bapt. Portâ inferius proponemus.

S I T U M nacti sunt augustum, capitis nempe anticam partem, & fronti proximam; ut nempe remotiora & plura objecta complecteretur vis visiva in edito loco, & quasi in speculâ, constituta; adhæc eò tenderet Visus, quò motus animalium, nempe antrosum, & cùm caput sit in omne latus mobile, oculi in eo constituti de eodem participarent commodo, & tanquam excubitores ac vigiles saluti totius invigilarent. Cavernis ossium undiquaque muniti detinentur nunc prominentiores, nunc delitescentes magis, ne scilicet facilè noxam contraherent membra delicatissima. Monstrosos quorundam oculorum situs & conformatio[n]es nonnullas recenset Majol. Tom. I. Dier. Canic. colloq. 2. p. 32. s[ecundu]m. Quin & DISTANTIA ipsorum ab invicem, & interpositus naſi limes venit attendendus, quantum illa conferat ad Vism, latissimè exequitur Aquap. de ocul. part. 3. c. 1. De naſo locus est apud Plemp. Ophthalmogr. l. 3. c. 18. Singulare est, quod Heerius recenset Observ. 4. p. 70. de quodam, qui oculo ex orbitâ delapoſo, & in faciem pendulo nichilominus viſu fuit præditus, & alii de quibusdam, quos per naſum vidisse adſtruunt.

FIGURA, ipsorum cum nervo, & musculis adhærentibus bulbi, seu ut Keplero appellare libet, cepæ; aliis pyramidis speciem exprimit; reſectis illis rotunda, & convexa est. Capacissima hæc specierum recipiendarum, nullis injuriis obnoxia, & motu aptissima oculis optimè conveniebat.

M A G N I T U D O ubique eodem circulo non est metienda. Variata magnoperè, five ipsam oculi corporatram, five situm contempleris. Parvi sunt in homine respectu ad alia animalia habito.

Q U A L I T A T E M oculi humores & membranæ, quæ partibus humidis & frigidis Anatomicorum consensu accensentur, frigidam & humidam esse demonstrant. Ad lucem

793

lucem majorem , refractionem radiorum , & firmiorem spe-
cierum retentionem facere istam temperiem Scriptores do-
cent. *Lis hoc loco fervet inter Platonem & Aristotelem , Philo-*
sophia & Lumina , quam posterior afferit l. de Sens. & sensil. c. 2.
contra Platonem disputans oculum non ex ipsis asserta
igneum, sed, adstipulante experientia, esse aqueum. Verun-
tamen facilè istam contentionem posse spiri sapienter sta-
tuunt Viri quidam Doctissimi. Etenim, si Platonis verba ,
quæ in *Timæo* proponit , examinentur , lucem ipsum , non ,
ignem intelligere fiet evidens. Ignis certè illius , ait , qui
non urit quidem , sed illuminando ssvaviter diem invehit
mundo , participes oculorum orbes Dii fecerunt. Prolixius
illud probat Celeberrimus *Tb. Bartholin. de luc. anim. l. 1. c. 4. 14.*
& 15. Et tali pacto cum Peripato Divini Platonis sententia
amicè conspirat.

Nunc ad PARTES constitutivas ordine devolvimur ,
in quarum nexus & compositione planè mirandis omnes
nervos intendisse Natura videtur. Inserviunt illæ vel mo-
tui , vel tutelæ , vel ornamento , vel visui , vel mixta ex his
functioni. Oculum denique vel circumstant vel compo-
nunt.

Cameras , quibus lucidissimi Orbis includuntur , ossa
præbent capitis , ethmoides , & maxilla superioris. Ho-
rum durities ne detrimentum aliquod afferat , aut mole-
stiam creet , perioftium prohibet , & abundans bulbo cir-
cumfita pinguedo , cuius insuper non vulgaris in membris
frigidi calefactione & pro motu facilitando lubricatione
utilitas eminet.

Canthus ad nasum uterque carunculas , glandulosa-
corpora abscondit , humiditatis superflus receptacula , &
lacrymarum cribra , unde Anatomicis dicuntur puncta la-
crymalia. Liquorem in his contentum naturaliter se ha-
bentem ad palpebræ motum facere , annotat *Grembs. arbor.*
hum. l. 1. c. 8. §. 13. n. 3. quod & Nic. Stenon. observat. de glandul.
placet.

Palpebra oculum involvit duplex : Superior & inferior.
Muscu-

794

Musculis istaz gaudent, uti B. Dn. D. Rolfinc. *Dissert. Anat.* l. 3.
c. 12. proponit, quatuor: Ciliari, Orbiculari dupli, superiore & inferiore, quem alii cum Bartholino pro uno saltim agnoscunt, atque Fallopiano Levatores s. recto, ob motum utriusque insertis. Inferioris quidem motus aliquanto est obscurior, unde & à nonnullis penitus ipsi fuit denegatus, potest eum tamen quivis in seipso ad speculum observare, scribit Barthol. *Anat. ref.* l. 3. c. 8. Cutis ipsis contigit duplicata, membrana carnosa, & extremitates ferè cartilagineæ, ut scilicet cilia rigida existentia visum juvarent, quem pendula remorarentur. Cilia & supercilia præter umbram, quam oculis facere perhibentur, omnium nocivorum illapsum arcent & prohibent.

Exemto ex alveo oculi globo primi se spectandos stant in parte posticâ MUSCULI, in quorum numero determinando multum inter se dissident Auctores veteres & recentiores, quorum sententias in compendio legendas sifit Illustris Rolfinc. l. 1. Bruta quod concernit, octo in illis plerumque reperiuntur, quorum septimus, orbicularis dictus, nervum opticum involvit, ut obtutus eorum, cum prona incedant, eò fortius figatur, seu, ne ob hoc ipsum oculus excidat, aut doleat; octavum observavit Fallopius, in membranam nictantem qui inseritur, unde nictatorius dici potest. Videatur Excellentissimus Horstius manuduct. ad Medic. part. i. c. 1. sect. 1. thef. 6. In homine verò plures sex non dari à Fallopio assertum hucusque constanter crediderunt. Eruditæ, quorum QUATUOR RECTI, DUO OBLIQUE existunt.

Primus ATTOLLENS ab officio dictus & SUPERBUS ab animi moribus, quos indicat, in superiori parte situs oculum sursum elevat.

Secundus è regione primi infra positus, quod oculum deorsum moveat, DEPRIMENS vocatur & HUMILIS, seu virgineus.

Tertium in majori angulo nasum versus oculum dirigentem ADDUCENTEM salutant & bibitorum.

Quar-

Quartus minorem angulum occupans & a n a s o o c u l u m a-
v e r t e n s , A B D U C E N S audit & I N D I G N A T O R I U S .

A motu quatuor rectorum junctim agentium intro rapitur oculus motu, quem Anatomici tonicum appellant.

Sequuntur D U O O B L I Q U I , volventes , seu circumga-
entes, quorum alter M A J O R & S U P E R I O R à situ , F A L L O-
P I A N U S ab Inventore , & T R O C H L E A R I S à loco , quem transit ,
M I R A B I L I S ab artificio, nuncupatur.

Alter M I N O R & I N F E R I O R peculiare nomen non-
dum meruit, præter A M A T O R I U C um Fallopiano sibi com-
mune.

Novum planè quid circa Musculos oculorum in hu-
manis corporib⁹ annotat Art. Molinett. Dissert. Anat. & Pathol.
defens. c. 4. p. 25. Invenisse namque Anno M. DC. LXIX. D.
Francisc. Boldrinum musculum septimum , minorem reli-
quias , quem , quod juxta trochleam initia capit , trochlear-
em vocat , seque , & omnes diligentiores Anatomicos in
omnibus cadaveribus observasse gloriose jactat. Delinea-
tio ejus in tab. æneâ l. c. videri , de veritate dñs consuli
poterit. Accedere hoc videtur , licet quoad numerum so-
lum, sententia Galeni , qui l. 4. de loc. affec. c. 2. & alibi septem
in oculo musculos constituit , quem sequuntur Carpus , Ves-
tibus , & aliis.

Solutis his quasi fasciis N E R V I prodeunt O P T I C I , o-
mnium totius corporis maximi & mollissimi ; id singulare
præ coeteris in iis observant nonnulli , quod cavitate gau-
deant manifestâ , Herophilo capropter pori dicti , quâ de-
re tamen dubitant multi , interque eos hâc de controversiâ
conferri marentur C. Hoffmann. de part. simil. c. 13. p. 56. R. Rol-
finc. l. 4. c. 31. Dissert. Anat. & Th. Bartbol. An. Ref. l. 3. c. 1. Spir-
itus oculi illustratores , & imaginum depictarum ad cere-
brum & phantasiam portatores dum oculo ministrant , quid
in visu promovendo præstent , promptè colligitur. Con-
junguntur in medio velut sibi invicem , ut firmetur lubrica
substantia , alteroque oculo demto alteri Spiritus visivi co-
ipiâ majori deferantur : disjuncti abhinc parte medullari re-
cipiuntur .

786

tinam cuneato quasi margine in exigua capillamenta fissâ effingunt, meninge tenui choroidem; crassâ scleroticam, licet aliis has in genere progeniem nervi optici vocitent, & communem hanc opinionem videantur rejicere, id quod etiam in bonum sensum tractum concedi potest.

Præter hos aliud NERVORUM PAR, ordine Anatomicis SECUNDUM pro motu faciliter exequendo receperunt oculorum orbes. Tacemus hoc loco vala sanguifera venosa & arteriola, quæ in oculum copiose inferuntur.

Ad tunicas explicandas, quæ pellicula audiunt Ciceroni, properamus, quarum mentionem jam fecimus.

De eorum quidem numero dissident Anatomici; aliis minori contentis, & cum Hippocrate l. de loc. in hom. c. 5. t. 4. tres tantum numerantibus; aliis eum multiplicantibus, quos studio brevitatis hoc loco præterimus. Dirimit hunc dissensum qualemcunque Plempius l. i. Ophth. c. 6. tunicas à membranis distingvens. Adhæc eum nullo quasi negotio decidemus, ubi tunicas à quibusdam dividi, & tūm quoad partem anticam, tūm posticam, utrāque pro singulari habitâ, denominari attenderimus.

QUINQUE nos jam eligimus:

Prima est ADNATA, seu conjunctiva, eò quod oculum cœteris partibus annexit; lavis & tenuis, alba revera, adeoque album oculi vulgo dicta, contra ac sentit Aquapend. part. 3. c. 4. plurimis vasis interstincta, quæ, nisi in Ophthalmiâ, difficulter agnoscantur. Alboris ipsius usum Kepler. Paral. in Vitell. c. 5. conjicit, ut judicaremus, num in nos oculos aliquis conjiciat. Ne motu & calore exasperetur humido quodam pingvi & oleoso eam perpetuò oblini scribit Linden. Medic. Physiol. c. 10. art. 2. §. 9.

Connèctitur huic SCLEROTICA, ob durum contactum & robur ita nominata; posticam oculi tegit partem, nervo optico firmiter adnexa, ut propterea ejus progenies dicatur. Hujus enim fibrillæ tenuissimæ in substantiam ejus abeunt; consentit color & cornea substantia, unde nec hæc, nec cornea à durâ membranâ solâ oriuntur, quæ quorundam est opinio, quod ante innuimus. Hæc anticè producit

COR-

797

CORNEAM, quod in star cornu lucernarum egregie polita;
& in lamellas divisibilis apparet. Hæc anterius ob diaphan-
neitatem species visibiles transmittit, & coarctat, itemque
refringit, insigni viuis utilitate.

Tertia sequitur CHOROIDES, à similitudine chorii in
fœtu, quod propter multiplicem vasorum texturam emula-
tur. Posticè sita est, in homine nigricat, unde nigram sem-
per pupillam facit, in taurorum oculi fundo colore ferè sem-
per cœruleus, cœruleos eorum oculos repræsentat. Ab hâc
producitur RHAGOIDES, seu UVEA, obuvæ imaginem nomen
sortita. Hæc anticâ parte in centro oculi foramen sub corneâ
ostendit, quod Pupillam, seu nigrum oculi, nominare con-
suevimus. Colorem circumferentia ejusdem & ambitus in
omnibus hominibus non eundem apparere, sensus loqui-
tur, cum cœtera animalia, præter equos, in toto suo genere,
uniforme gaudeant, uti vult Aristot. Hist. Anim. l. 1. c. 10. Cau-
sam verò nigredinis redditurus Hippocrates l. de carnibus c. 18.
t. 13. id fieri ait, ἐλαφρός οὐδὲ πεπονισμένος τοῦτο εἶται μέλανος,
quod in profundo est, & tunica circum ipsam nigra sunt. Con-
sentit huic fonti Linden. med. physiol. c. X. artic. 5. §. 10. cum pro-
funda umbram facere constet, & quò profundior ea videa-
tur, eo magis nigritet. Adfert præterea Scheineri ex fundam.
optic. l. 1. part. 2. c. 1. sententiam, qui pro choroidis translu-
centis varietate colorem diversum pupillæ oriri affirmat.
Tributa Æthiopibus quibusdam pupillæ viriditas figmentis
rectè annumeratur à Conring. de hab. corp. mut. caus. p. 122. Figue-
ra in bobus, felibus, canibus est oblonga, in homine rotun-
da. Hujus sanè hiatus si natura fuisset oblita, tota procul du-
bio oculi constructio periisset, cum neque lux, neque ullum
visibile ad crystallinum pervenire ullo modo potuisse, ver-
ba sunt Aquapendens. Nigro colore intùs tincta est, quæ cry-
stallinum humorē respicit, scabritie quadam notatâ tunica,
ut & processu ciliaris ad crystallinum humorē missa lumen
reflectens absorbendo radiorum confusione præcavet, obser-
vante Cartes. de homin. §. 19. Quæ vero tunicam corneam, di-
versicolor est.

7981
Illud observari nunc apprimè erit necessarium, Pupilam motu pollere duplici, dilatatorio, & constrictorio. Causam Schegkium rejicere in musculum medium in radice oculi, nervumque opticum circumdantem, auctor est Sennert. h.i. Instit. c. 12. Galenicā l. 10. de U. P. c. 5. in Spiritu, & inflatione consistere creditam prolixè refutat Plempius l.c. l. i. c. II. qui duplēm ibi adfert, internam & externam: hanc lucem, colorem, & distantiam variantem; illam anima facultatem naturalem, quā occasione Cartesum Dioptric. c. 3. §. 5. motum illum pro voluntario, licet ut plurimum à nobis ignorantibus peragatur, estimantem oppugnat. Egregiè tamen & pro more suo eruditè utrumque conciliat B. Rolfini. h.c. explicatà motus voluntarii duplici, vel secundūm Aristotelem, vel secundūm Galenum acceptione. Id in primis motus iste procurat, ut & nimiam lucem oculis nocitaram coarctatione arceat, & expansione sufficientem pro illustrandis speciebus intromittat.

Arcus ulteriùs circa pupillam ab uvea formatur, Iridem vulgo nominant. Colorem ipsius pro dispositione cerebri, tunicarumque mutari, statuit illustris Conring. l.l. Molinettus verò c. 3. favens eorum, qui realitatem colorum rejiciunt, opinioni, pro diversâ proportione superficierum, in quas lumen incidit, quasve trajicit, variaque inde ortâ lucis refractione iridem nobis apparere coloratum judicat.

Quarta tunicarum est RETINA, seu AMPHIBLESTROIDES, à similitudine, quod retis texturam complicati referat, dicta, membrana est tenera ac delicata, albicans & pellucida, licet obscura videatur, nam uvez colorem transmittit tam coeruleum, quam è fusco nigricantem. Hæ ulterius tenuissimâ structurâ progressa humorem crystallinum investit, aranea idcirco ob tenuitatem, & crystalloides appellata. Mucum in ipsâ, à quo albicet, & species receptas illustret, annotat Barthol. An. Ref. p. 350. Utilitas ipsius prima ac maxima quidem, propter quam supernè fuit demissa, ut, cum crystallinus alteratur, id sentiat, verba sunt Galeni l. 10. de U. P. c. 2.

Quin.

749

Quinta VITREA ab humore, quem continet, Anatomicis appellata, velut paries intergerinus, crystallinum & vi-
treum humores ab invicem distingvit, hunc verò exactissi-
mè involvit.

HUMORES jam excutiamus, quorum TRES Anato-
me sifit. AQUEUS dissectis anterioribus tunicis effluens
primum sibi postulat examen. Spatium is totum inter cor-
neam & crystallinum, velut alveum rivus, interfluit, fluxilis,
& aquæ ad instar pellucidus, albugineus ab aliis appellatus.
Parum abest, quin à multis ex partium vitalium consortio re-
legatus ad excrementorum colluviem detrudatur. Causam
verò pro illo agit N. Highmor. Disq. Anat. l. 3. part. 2. c. 4. qui vias
sibi ostendi, per quas excernatur, postulat, &c., quod vitâ in-
crescente non incrementa capiat, sed potius in senum flac-
idis oculis planè deficiat, id demonstratum.

In eo radios visivos fortius uniri, Theoremate: Ex con-
cursu radiorum fractorum ignis potest generari, probat s'xpè
laudatus Aquap. part. 3. c. 5.

Restitui hunc humorē posse in senioribus negat Plem-
pius l. 1. Opbth. c. 16. Interim non hunc modò, sed duos præ-
tereà reliquos artificio quodam regenerari experimenta-
Burrhi, ipsiusque ad Excell. Bartholinum litteræ prostant.
Quoniam Bartholinus & Borrichius potius Naturæ illam
redintegrationem ferant acceptam, cum quibus etiam sen-
tit, idque nos docuit Excell. Dn. D. Preses. Vide, si lubet, Acta
Medic. & Philos. Hafn. part. 1. Observ. 69. 132. 133. Ephemer. Gallor.
Tom. 5. eph. 3. & German. Ann. 1. Observ. 12. & 117. à Nobiliss.
Dn. D. Elsnero, Patriæ nostræ Practico Celeberrimo, anno-
tatas.

Quemadmodum Vitellus in medio albuminis duplicitis;
ita CRYSTALLINI humoris globus inter aqueum & vi-
treum occupat sedem. Crystallus & glacies concreta, vel
gemma nitidissima videtur corpus splendidissimum & dia-
phanum. Ligamentum ei tunica uvea impertitur, CILIA-
RE à similitudine ciliorum oculi exteriorum appellatum,
cujus ope necritur reliquis partibus, & velut à musculo huc

800.

illuc pro objectorum diversitate movetur; nigrore verò visio distinctior redditur, ut hæc diffusè proponunt Cartes. de hom. §. 19. Dioptric. c. 3. & 5. Plemp. l. 3. c. 9. & Higbmor. l. c. 1. 3. Plempius non improbabilia eum asserturum judicat, qui easdem productiones turgefacere se per contractionem in clara luce diceret, ut nempe confertæ & addensatae lumen nimirum excludant: in debili verò luce extenuare se, ut ita se-junctiores & rariores plus luminis admittant, adeoque uvez, cujus sunt progenies, esse adminiculatrices. Malè præcipuum visionis subjectum statuitur, quod inferiùs docebitur. Densior est reliquis, &, si exicetur, ex meris videatur constare pelliculis, instar caparum invicem se excipientibus.

Ultimus adhuc VITREUS propriâ membranâ cinctus, crystallinoque pulvinaris ad instar inserviens supereft. Galen. de U. P. l. 10. c. 1. ab hoc crystallinum; hunc à corpore ipsum ambiente per Διάδοσιν nutritri credit. Aliter verò tūm de totius oculi, tūm de humorum nutrimento judicium fēt H. Barbat. de sēro & sangu. p. 63. seqq. cum quo conferri meretur exactissima sententia Æmil. Parisan. l. X. exerc. 1. c. 3. p. 409.

Tantus Naturæ artificis in nobilissimo instrumento apparatus eminet, unde, quænam illarum partium primò visu sit necessaria, erit deliberandum.

Hâc de re quid statuendum sit, ut eò melius constet, prius quasdam præmitteremus hypotheses; quarum evidētia inferiùs fiet manifestior: Receptionem specierum visibilium, & depictionem earundem fieri in oppositâ oculi parte, non secus ac in camerâ obscurâ solet observari, ponimus: Omnia sensuum effectores esse nervos Anatomici nobis concedunt; hinc & nervosa corpora; inde si quid in oculo depingi, recipique debet, opacum & tale organum sibi postulat, in quo possint fisti illa objecta. Ex quibus duo alia fluunt porisnata: 1. illud pro principali visionis organo habendum esse, ubi radii visivi figi, finiri, & terminari queunt. 2. Illi parti visionem principaliter adscribendam, in quam

quam nervus opticus, abs quo nullatenus perficitur visio,
inseritur.

802.

Retinam tunicam qui vidit, & notat, illam esse oppositam forami uive, densitate transfluxum specierum impedit, & à nervi medullâ propagatâ oriri, adeoque solam esse, cui præfata competit, & de eâ prædicari queunt, nullatenus verò de aliis, facile Opticorum sententiarum pro hac tunica militanti accedit, quam optimè proponit J. Kepler.
loc. cit.

Invidet ei dignitatem amplissimam Aristoteles, Galenus, & qui ipsos sequuntur, ob summam perspicuitatem, cuius beneficio ab objectis visibilibus alterari queat, humoris crystallino delato principatu. Addit Galenus *l. c.* rationem ab ~~τονχυατων~~ seu suffusionum inter crystallinum & corneam, sitarum impedimento deductam.

Veruntamen præter experimenta Cartes. Dioptrit. c. 5. & Plemp. l. 2. c. 19. in oculo bubulo facta, & transmissionem specierum per omnes humores probantia; cameram item obscuram contraria svadentem, omnium exactissimè hæc refutat Barbatus. *l. c. p. 69.* qui sententiam istam, quâ præcipuum videndi instrumentum esse crystallinum asserit, admittit, quoniam si omnium primò non reciperet crystallinus videndarum rerum simulacra, nulla celebraretur visio, at eodem in crystallino non sunt objectorum sensationes, quod ibi latius à tunicis circumpositis confirmat. Adeoque crystallinus humor ad visionem quidem multum confert, & pro transmissione specierum præcipue concurret, instar lentis cujusdam, ob diaphaneitatem & qualiter species recipit, refringit, sed ulterius dimittit, simul verò facit, ut iusta proportione objecta offerantur, eo ipso tamen per modò præsupposita palam relinquit meritò retina.

Græcos excipit Arabs, Averrhoës, qui araneam tunicam ad id fastigium elevare laborat, quod à Galeno ipsi sumum luciditatis encomium sit tributum, & talpæ eâ destitutæ visu careant. Hoc ipsum verò pari cum prioribus passu ambulat. Et talpas visu sui generis pollere Scaliger

Exerc.

802

Exerc. 244. Ephemer. Germ. ann. 2. obs. 57. & qui omnes sententias, calculosque colligit Excell. Thomasius Disput. de Talp. visu anno 1659. Lips. habitâ demonstrant.

Magis nos urget, quod Ephemer. Gallor. Tom. 4. Ephem. 7. Mariotti quendam Librum: Nouelle decouverte touchant la Veue, Novum de Visu inventum, inscriptum, ejusque Excerpta fistunt. Auctor ejusdem pro retinâ substituit tunicam choroidem, utque illam amoveat ab officio, duplicitatione, & uno experimento nititur. Retinam esse pellucidam, adeoque radios transmittere, in eâ decussari radios, adeoque non in unum punctum coire, quod ad Visum necessario requiritur; & ubi illa sola est, objecta non apparere, e. g. in centro, ubi verò choroidem habet suppositam, videri differit. Opponi hanc in rem possunt & ea, quæ jam ipsi de eâ. dem retinâ confessi sumus.

Non levis armaturæ hoc est telum, cuius declinatio-
nem non adeò facilem fuisse Recqueto ex Excerptis Epistole Ipsius
eadem Ephemeride consignatis liquet. Cum tamen ab Ipso
sufficienter illi sit factum, plura in præsenti non addi-
mus, nisi hoc: Constat omnibus cameram obscuram intu-
entibus, species in tenui, albâque papyro posse recipi, &
licet aliquatenus transmittantur, si tamen pictura perfecta
in chartâ, cum quâ comparamus tunicam retinam. Hincq;
non improbabiliter eminentiam hujus tunicæ elici posse af-
firmamus. Faciunt huc verba B. Schelhammeri Ophthalmogr.
& Opstoscop. S. 22. ubi: tunica, ait, retina radium advenien-
tem leviter transmittit, & suâ, subsequentisque tunicæ ope-
citate eum obliterat.

CAPUT III.

Objectum Visus illustrans.

Quicquid capacissimo sinu Orbis complectitur universus,
illud à Visu percipi aptum natum est. Quoniam verò
non omnia ratione quâcunque considerata sensum movent,
classe quædam certæ erunt constituendæ.

Distinguunt alias ex Aristot. l. 2. de anim. c. 6. sensibile in
id,

803.

id, quod est per se, & quod est per accidens. Per se sensibile duplex asserunt: Proprium & commune; proprium illud appellantes, quod alio sensu sentiri nequit, & circa quod error fieri non potest; commune vero, quod diverso modo se habet. Per accidens sensibilia vocant substantias.

Objeci communis species aliqui extendunt ad novemdecim; aliqui minori numero includunt. Sufficere tamen Aristotelis quinatum: Magnitudinem, Figuram, Motum, Quietem, Numerum, credimus, & ad ipsum, quæcunque ab Opticis proponuntur, posse referri.

De proprio tantò sollicitius concertatur, quantò plus in ejus cognitione situm est Natura Consultis. *Philosophus l.3. de anim. c. 7.* istud in primis agit, ut demonstret, omnia, adeoque perspicuum ipsum, sub ratione coloris, proprii quandoque, interdum alieni, oculis apparere. Qui ipsius doctrinas explicant, Colores esse Qualitates exmissione provenientes, & corpori alicui inhærentes docent. Lucem deinde de se dicere excessum quendam quoad facultatem visivam, nullamque ad hanc habere proportionem: quin & ita se habere ad colorem, ut eum non producat, sed manifestet tantum.

In aliam ab ipso sententiam digrediuntur plerique Recentiorum, & Lucem pra Colotibus eligunt, cuius ratione omnes Colores cognosci contendunt.

Hoc assertum ut probent, diversimodè Colorum explicaciones tractant, dum alii eos Lucem esse obscuratam, alii tinctam, alii refractam asserunt. In primis Illustris Rob. Boyle exper. de color. c. 2. §. 3. hac de re meretur attendi. Considerat colorem dupliciter, vel ut Qualitatem residentem in corpore, quod dicitur colorari; vel ut Lucem ipsam, quæ sic modifica ferit Organum Visus, adeoque sensationem istam, quam colorem vocamus, producit. Secundam, licet minus usitatem, ipse veritati magis consentaneam persuadere toto nititur Tractatu, & c. 4. §. 6. exactè deducit, ex particularum superficialium corporis cuiusdam positu, figurâ, connexione, quantitate, motu, indeque ortâ lucis variâ reflexione, refractione, absorbtione, majori vel minori in partes varias re-

imp

C

per-

809

percussione talia produci φανδόμφα, quæ nobis colorum nomine veniunt. Inter alia probationis argumenta Tractatu toto diffusissima exemplum quoddam coeci proponit, qui jejunus colorum differentias solo tactu distinguere noverat, & ipse rigiditatem, vel levitatem partium superficialium erat confessus. Consimile exemplum de alio, qui oculis religatis idem poterat, recenset Grimald. in *Physic. Matheis.* cuius excerpta habentur *Ephem. Erud. Tom. 2. eph. 35.*

Quanquam autem Auctor Celeberrimus c. 5. §. 5. de se scribit, non esse sibi propositum Scripto illo colorum essentiam docere; tamen si consideraverimus, colorem ab Ipsi dici Lucem modificatam, deinde Ipsum intendere demonstrare, colores non dari reales, &c. §. 28. colorem in tenebris non esse, quia modificata Lux in tenebris subsistere non potest, expōnere, facile inde licet concludere, Eum pro Luce, tanquam primo Visus Objecto suum ferre suffragium.

Willis. de fermentat. c. 10. eidem subscribens opinioni paucis rationem istam exponit, quomodo à corporibus diversis diversi gignantur colores, & cum his sentiunt Bartolin. de luc. anim. l. 7. c. 7. Molinet. c. 2. & Archimedes Seculi, Otto de Gericke Exper. Magdeburg. l. 4. c. 12. qui postremus verò colores dividit in merè virtuales, qui postremus verò colores dividit in merè virtuales, qui ex variâ Lucis, luminisque in se reflexione existunt; & materiales, qui materiae alicui mixti sunt. 201

Varias variorum de coloribus hypotheses summo studio collectas vide in *Gamma. Curios. c. XVI. Dn. D. Sachsi. Patriæ quondam Phosphori splendidissimi, & qui ex Eo excersit. G. Voigt. in Dissert. continua nivis albedinem realem sett. 2. c. 1.*

Notum aliás est Axioma: Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Requisita, quæ ad ejus veritatem concurrerē vult B. Stahl. Reg. Philos. Disp. 7. Reg. 2. p. 182. si ad Lucem conferamus & colores, magnum certè allegati Auctores nanciscuntur fundamentum. Experiētia sanè non repugnat, pro diversitate Lucis variari colores, ita ut, quæ ad excellētiorem videantur cœrulea, in tenuiori viriditatē mentiantur; flava, alborem, &c. ut taceamus Chimicos proceritus, qui

808.

qui diversitatem particularem non parum ad colores alterandos concurrere ostendunt, de quorum principiis etiam quoad hæc suo tempore meditationes suas edet Excell. Dn. Preses.

Quod ad excellentiam Lucis ab Aristotelicis objectam attinet, ad ea egregie commentatur Aquapend. part. 3. c. 6. Lucis duo, *ait*, sunt extrema: alterum est lux vehementissima; alterum debilissima, utraque extrema sunt invisibilia, diverso tamen modo, alterum enim visum labefactat, alterum ipsum movere non est aptum. At mediae inter has visiles luces existunt, alia tamen magis, alia minus, prout scilicet alterutri extremo appropinquant.

Mediae quasi inter hos incedunt semita Medici alii eruditissimi, qui tum Lucem, tum Colores proprium esse Visus Objectum manifestò afferunt.

Agmen ducat Celeberrimum Nomen Sennerti Scient. Nat. l. 7. c. 2. ubi paucis, &c. ceu solet, accuratè, post allatas aliorum circa hanc Controversiam opiniones, concludit, sententias istas sibi invicem non contrariari, dummodò distinguatur inter ea, *qua sunt visibilia*, & *qua actu videntur*; Colorem actu visibilem naturâ suâ esse, ut tamen actu videatur indigere lumine. Et paulò post p. 571. Lumen, dum est in perspicuo, non videtur, *ut quod*, *ted*, *ut quo*; nec conspicitur *per se*, *sed per accidens*, quia, ut colores actu videantur, facit.

Succedat Plempius, qui Ophthalmogr. l. 1. c. 17. & l. 2. c. 2. patrocinium quærens Aristotelis Auctoritati, album dupliciter explicat, vel quatenus istum colorem strictè, vel, quatenus id, quod natum est recipere omnes colores, id est, perspicuum seu diaphanticum, denotat. Deinde & coloris vocem dupliciter intelligi ostendit, vel strictè pro colore tantum, vel latè, pro colore & luce simul, hincq; parùm referre arbitratur, utrum pro objecto Visus adæquato Colorem, an verò Lucem eligamus.

Οὐδὲ Φίλος Magno Sennerto ferè est Helmontii Epitomator, Gremij. Arb. hom. l. 1. c. 8. §. 13. n. 10. dum objectum aliud in tenebris visibile, ut splendorem; aliud per medium illustratum, colorem puta, ostendit.

Posterioribus hisce nos accedimus, cum quibus & anterius
C 2 riorum

riorum sententias posse conferri & conciliari pulamus. Etenim ut de omnibus coloribus universaliter affirmari nequit, eos esse non reales; ita, si consideremus, quid sit Lux modificata, coloribus tantam eam esse manifesto constat. Hinc distingui commodè posse videtur inter Objectum primum & adequatum; inter objectum precipuum s. primum, & secundarium; hujus nomine colore, illius lucido vel lumine intellecto.

τὸν τὸν
Διαφανῆ αἰγαίνεται φῶς, οὐ τὸ λαμπρόν πάντα, τούτων δὲ
οἷς τὸν αἰγαίνεσθαι. Huic enim pellucido, lumen & omnia splen-
dida relucent, per hoc igitur relucens videt, verba sunt Cui l. c. t.
g. Confer Heer. Observ. 4. p. 74.

Memini hanc occasione, Excell. Dn. Posnerum, Praeceptorem atq. Fautorem Colendissimum, nos in Lectionibus publicis de Animâ docuisse, tres visibilium classes à quibusdam constituit. Quædam videri sub lumine alieno & colore proprio, veluti omnia, quæ de die, radiis solaribus collustrato aëre, apparent: Quædam sub lumine proprio, & colore alieno, uti ignis, &c. alia, quæ tam interdiu, quam noctu conspicuntur: Quædam vero medio se habere modo, & videri in die sub colore proprio & lumine alieno, noctu autem sub colore alieno, & lumine proprio, quæ scilicet noctu fulgent, illoque fulgore nativum suum colorem occultat, e. g. lampyrides, atramentum sepia, squamæ piscium &c.

Vidimus Organum; perlustravimus etiam Objectum; restat, ut, quomodo ad sensum concurrat utrumque, indagemus. Sensum omnem fieri per contactum, vulgo dicitur, hinc Moli- nett. c. i. non errare nos scribit, si omnes sensus diversos esse tamen assenserimus. Contactum duplēm ponunt Philosophi: Vel enim corpora remota virtute emissa in se invicem agunt, qui contactus dicitur impropus, & virtualis: vel extremis suis invicem se attingunt, & vocatur corporalis, verus & proprius. Hunc in sensu Visus locum non obtinere, non potest esse ignorantum, cum toto die experiamur, si objectum corporaliter tangat oculum, planè nihil videri; ut igitur ad priorem configuramus, erit necessarium.

OR 912

Communissima explicatio apud Auctores in species visibilium

807.

bilium intentionales & spirituales, quæ sunt simulacra & imagines eorundem, reflectitur, & cum omnes visionem cum descriptione rerum externarum in camerâ obscurâ comparent, inde asserti sui probationes depromunt; & abhinc sensui communi & cerebro communicari docent, ut hæc ulterius c.s. expendemus.

Unicum hoc addere liceat, ad objecti perceptionem requiri nec essariò distantiam ipsius ab organo pro ratione luminis proportionatam. Ex contactu hoc non male elicitur; quia enim virtus exiens requiritur, necesse est, ut debilitetur, si per nimiam distantiam est percipienda. Nervosè id explicat Magnificus *Dn.de Gericke* l. 4. c. 13. ubi visionem per angulum visualem fieri differens, prout ille vel major, vel minor in oculo efficiatur, ita & Objectum melius, vel minus percipi, adeò ut si ita sit remotum, ut angulum amplius constituere nequeat, sed in lineam rectam degeneret, evanescere illud paulatim adstruat.

CAPUT IV.

Medium Visus perlustrans.

Species visibilium intentionales, & contactum organi & objecti mutuum precedentem Capite adduximus. Medium itaq;, cuius beneficio hæc operatio procedat, evolvemus.

Ea quidem Democriti quandam fuit perswasio, quod si vacuum esset celum inter & terram, fore, ut formicam in celo repente oculis usurparemus, ut de ipso refert *Arist. l. 2. de anim. c. 7.* Eidem astipulatus videtur *Keplerus append. ad c. 1. Paralip.* quanquam eam mitiget, formicamque ob imbecillitatem instrumenti impedientem conspici posse neget.

Absurditatem Democriti sufficienter *Aristot. l. c. ostendit*, cui addi illud potest, quod Opticorum suffragio communis confirmetur, ad meliorem visibilium cognitionem facere refractionem & unionem. Hæc num in vacuo sit speranda, & non potius, ob nullam occurrentem resistantiam, diffusio elicatur, demonstrare incumbit Democrito.

808

Ceterum cum nullum corpus Visus esse medium queat, nisi diaphanum sit, & ob perspicuitatem suam transmittat species visiles; ejus autem diversitas oculis toto die fiat manifesta, *Plempius Optib. l.2.c.6.* tres quasi constituit classes & differentias. Primam designat corpori omnino translucenti, quod lumen perficitissime, & secundum omnes dimensiones transmittit, quod est aer: in altera collocat ea, quae opacorum quadrantibus numero accedunt, corpora diaphana quidem, at ob partium densitatem non adeo perfecte, qualia sunt aqua, crystallus, vitrum &c. Tertiam corpori terrestriori, cuius extremitas sit color, tribuit. Pertinet huc Divisio Ipsius, quam tradit *l.2.c.6.* in medium uniforme, quod aequalibus vel in raritate, vel in densitate partibus pollens non mutatas species transmittit; & in difforme, quod medio modo sese habet.

Addunt his alii Auctores, medium esse duplex, vel *externum*, quod extra oculi bulbum est constitutum, sive aeris sive, aquae, vitri, aut alio nomine veniat, & *internum*, quod membranis oculorum investitur. Nos medium visus constituimus uno verbo τὸ Αἰρετόν, *pellucidum*, seu *perspicuum*, idque in *subtilius* & *crassius* dividimus, exemplo aeris, aquae, & aliorum jam adductorum. De hoc obiter Optica axiomata notari posunt, quod *radius ex medio subtiliori in crassius incidentis refringatur ad perpendicularium*; *radius vero ex medio crassiori in subtilius incidentis refringatur à perpendiculari*.

Duo, quae medium hoc visus concernunt, *externata* in examen nunc erunt vocanda: Primò etenim *Quæstio* oritur: An ad visum absolvendum, utrumque medium, & *externum* & *internum* necessario concurrat, an alterius praesentia sufficiat, adeoque etiam intra oculum aliquid videri possit?

Posteriorius affirmare videtur *Plempius sepa laudatus*, atque pro externi medii exclusione *l. 4. Probl. 23.* ea adducit, quod fulgores noctu quoque clausis palpebris, deinde corpuscula illa, quae in humore aqueo vel tunica adnatâ filamentorum instar repunt, conspicantur. Facit huc, quod *Illustriss. Baco Nov. Org. l. 2. aphor. 45.* annotat, audivisse se ex relatione cujusdam fide digni, quod ipse in curandis oculorum suorum cataractis festu-

809.

festucam argenteam, quæ intra primam oculi tunicam ad removendam cataractam intrudebatur, clarissimè supra pupilam se moventem vidisset.

Eidem placito subscriptit *J. Keplerus laudat à append. ad c.*

1. *Paralip. p. 35.* qui minùs universaliter sequi, ut semper requiratur medium ad informandam visionem, ex scintillatione oculorum cognitā, & perceptione specie inhærentis in Spiritibus, concludit. Quodque minùs sentiantur colores proximè admoti oculo, causas recenset: *Quia* 1. si oculum tangeret superficies rei visibilis, doleret oculus. 2. Unius saltim oculi usus esse posset. 3. Nec plus de colore cerneretur, quam quantum intra circulum pupillæ foraminis includi potest. 4. Præcipue quod excludatur omnis illustratio coloris, sine qua nequit fieri visio, seu non tam nocere exclusionem medii, quam propinquitatem objecti.

Internum medium & cum hoc, utrumque omitti posse *Plempius* ex visione speciei inhærentis in Spiritibus post remotionem rei visibilis, deinde alieni coloris, quo tunica vitrea proximè adhærens retiformi esset imbuta, probare nititur.

At enim verò si distinguatur inter visionem accuratam & confusam, seu imperfectam; notetur præterea, excellentem Lucis radium penetrantem adeò esse, ut oculos clausos quoque moveat, cui simile objectum aliud dari nequit, argumentorum horū vis eludifacile potest. Quid, quod & rationes Keplerianæ omnes, licet invito illo, ex damnis visus, quæ medium negligunt, infert, necessitas medii non coactè elicatur? Filamenta illa oculorum, cum colore vitreæ tunicæ mutato apparentia luci internæ deberi, ab externæ lucis vehementi nescio quo modo turbata, scribit *Barthol. de luc. anim. l. i. c. 14.* Percipi verò ista, non prout sunt revera, sed vel extra oculum posita, magnitudine aucta, vel sub ratione motus, alisvè modis, manifestissimum est. Neque per se evidentur, sed quatenus objecti veri sensibilis radios vel infringunt, vel tingunt, & pro diversitate hujus respectus mutatos ad retinam pervenire faciunt. Ipse novi experientiâ propriâ, cùm aliquando laborarem excrementi tenui in tunicâ adnatâ, quæcunque conspiciabam,

810.

ciebam, punto quasi quodam notata mihi apparebant. Huc
refero, quod, quia perceptioni visibilium in medio externo
est assueta Natura, illa in oculo hærentia filamenta, & corpo-
scula sub ideis muscularum volitantium in aëre ab ea concipi-
antur. Tandem specierum inhærentium in spiritibus repræ-
sentatio phantasie potius, quam ipsi visus sensu in acceptis est
referenda. Überiora qui desiderat, consulat Hippocratem l.c.
Laurentium Histor. Anat. I. XI. qu. 2. & alios.

His itaque moti non à regia veritatis nos defletere ar-
bitramur, si ad perfectam, & Definitioni suæ respondentem Vi-
sionem necessariò concurrere & medium externum, & inter-
num statuerimus.

Expedito hoc dubio ad alterum devolvimur, quo contro-
vertunt Scriptores: *An medium semper debeat esse illuminatum,
si visionem exequi debet oculus?*

Rursum nobis cum *Plempio* erit pugnandum, qui *l. 2. c. 13.*
res, *ait*, splendentes etiam foris remota in tenebris videntur,
& testantur exempla Tiberii Cæsaris, Scaligeri, Cardani, Cœlii
Rhodigini, & aliorum, qui in densissimâ nocte & tenebris cer-
nere potuerunt. Jam cum omnis visio fiat emissa ab objecto
visibilis specie, sequitur, emitte eas quoque posse in tenebris.

Ad primum argumentum notamus, non semper requiri,
ut totum illud, quod inter organum & objectum interjacet,
medium omnibus careat tenebris, sed sufficere, si tantum cir-
ca objectum materiatum aliquâ luce clareat, à qua radius qui-
dam organum feciat. Cum itaque corpora splendentia po-
tentissime reflectant lucem, immo propriâ luce radient, non mi-
rum est, si ab ea emissi radii medium pro sufficienti illius per-
ceptione illustrent, sic in tenebris, ubi medium illuminatum
non est, cernere possimus astra, quæ non viderentur, nisi luce-
rent. Interea tamen vocabulum *foris* ultra limites sphæræ
aktivitatis, quâ corpus quodque gaudet, non est extendendum.
Quod visionem quorundam in tenebris concernit, hoc tūm
organî excellentiæ & puritati, tūm Spiritui visivo lucidissimo
solet adscribi, licet in quibusdam non immerito illud in virtutis
oculorum & visus censeatur. Plurimi namque, qui noctu o-

mnia

mnia penetrant visu, de die coeclutunt, & id, ut de ceteris taceamus, de Tiberio memorat Sveton. in Ejus vita §. 68. Neque ab ista particularitate argumentum satis firmum ad universalitatem deduci posse credimus.

Memoranda est hoc loco hypothesis Highmori Disquis. Anat. l. 3. part. 2. c. 4. ubi, nullas dari tenebras, licet sint densissimæ, quæ non aliquid luminis perpetuo obtineant, demonstrat. Adamantis splendorem in tenebris quod attinet, eum non à luce ingenitam, ut alii Auctores, deducit, verum ait, revera splendorem istum nihil aliud esse, quam radiorum luminis sparsorum congregatio ac unio, & ad oculum reflexio. Radios autem, cum in tenebris forent dispersi, & parci fuerint, imperceptibiles negligi, cum vero in adamante (an ratione figuræ, an summa perspicuitatis, non examinat) collecti sint, unitos medium quod ammodo illuminare, & oculos spectantium petere. Quod & in quorundam hominum crystallino humore fieri posse defendit, & à vario ipsius situ, formâ pupillæ, aliisque oculorum nonnullorum accidentibus egregie confirmat. Plempius l. 2. c. 22. suam sententiam uberior explicans illud intendit, Lumen ad visionem necessarium esse alterutrius, vel objecti, vel organi ratione, ita, ut si illud luce polleat, hoc eam non indigeat; Sin hoc nitidos emittere possit radios, quales sunt oculi felium, murium, &c. illud possit claritate luminis carere. Sed exempla eo loco adducta manifestè probant, in objectorum splendentium perceptione, nec medium, nec organum propriam indigere luce, in obscurorum, vel medium, vel organum debere diffundere aliquid luminis, & sic per consequens. Et tali modo consentientem sibi veritatem reddit & aviculae Auctor Celeberrimus.

CAPUT V.

Modum Visionis enodans.

Implicatos Controversiarum nodos haec tenus evasimus, quod si tamen conferantur cum iis, qui hoc Capite venient extricandi, apparebunt levissimi.

Insignis Eruditorum circa modum videndi disensus viget, adeò, ut non injuria Vesalius lib. 6. c. 16. conqueri videatur, certò nobis, qui Visus fiat, non constare.

D.

Con-

sar.
Contactum Organī & Objectī esse necessarium ex superiori-
bus liquet; An verò Organū quid emittat ad objectū, & hāc
ratione illud tangat; An objectū ad organū, & quā virtute
transferat suam speciem, seu, an emissione vel receptione specie-
rum visibilium Visio contingat, dignum est inquisitu.

Nota est Platonis, quam in *Timeo* proponit, sententia: Dum
etenim oculis ignem inesse supposuit, puriorem ipsius partem per
oculorum solidiorem, angustioremque medietatem evolare, &
cū diurnum lumen se applicet visus radio, tunc ea duo inter se
similia concurrentia atque commixta, quō oculorum acies diri-
guntur, ibi in unius jam domestici corporis cohārere speciem:
ubicunq; videlicet tam interni, quām externi sit concursus, edo-
cet. Totum igitur hoc propter similitudinem, passionem eandem
fortitum, cū quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motū
hujusmodi ad corpus omne, perque id ad animam usque diffund-
ens efficere, qui Visus vocatur, at postquam in aërem sibi dissi-
milem erumpens permutatur, & in noctem ignis connatus pro-
gressus extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aëre, utpote
ignis splendore carente, naturæ communionem, visionis radium
evanescere, visionem definere & somnum inducere.

Celeberrimus Bartholinus de *Luc. anim. l. 3. c. 11.* postquam
Platonis *ovdūγειαν* prolixè contra obrectatores defendit, de lo-
co tantum illius occursus dubitat, num juxta Oculum, an prope
objectū, an in medio, & quali ab utroq; distantiā poni debeat, &
ēd ferè inclinat, ut ob Luminis oculorum brevitatem frequentius
circa oculum existere ducat credibile, nisi quod pro diversitate
utriusque variari locum probabilius dicat. Interea tamen fate-
tur, obscuriora hāc esse, quām ut à se illustrentur ea, in quibus tot
seculorum ingenia sine affectu insigni desudasle affirmat.

Divinum Philosophum secutus *Galenus l. 7. de Hippocr.* &
Platon. decret. c. 5. & 7. diffusius, quām ut hic inseri possit, de mo-
do Visionis, utrūm emissione radiorum visivorum, an receptione
specierum lensibilium efficiatur, disputat Rationes potissimas.
quas contra receptionem specierum visibilium proponit, desum-
fit ab Objectorum magnitudine, quam per exiguum pupillam in-
trare posse absurdum putat; deinde quod objecta visibilia uno
eodemq;

883

eodemque tempore ab innumerabilibus oculis cernantur, nec
situs partium, stante hāc hypothēsi, possit concipi. Unico, uti ex
loco laudato nobis elicere licet, omnia ipsius argumenta axio-
mate concluduntur, quod, quia præter colores nihil aëre, tanquā
medium externum, alterare posse credit, præter colores nihil ali-
ud in speciebus visibilibus per receptionem videri adstruat.

Grembius l. c. Certum est, *inquit*, ex oculis manare lumen ad
res, quod cum lumine rerum conjunctum facit, ut re ipsā videa-
mus, id quod confirmant senes, qui eminūs meliūs vident, quam
cominūs; sic mulier speculum inficit, sic Basiliscus visu intermit.
Præ omnibus alii verò per extramissionem aspectum verè fieri,
demonstrare, & Platonem recte sensisse, ostendere conatur latissi-
mè. *Emilius Parisianus l. 10. exerc. de subtil. 3. c. 3. p. 422.*

Peripatetici contra ea, quibus & nos aslociamus, emissionem
hanc radiorum visivorum oppugnant, & receptione peragi Vi-
sum recte statuunt. Rationes horum & antecedentium objectio-
num solutiones videri poslunt apud *Aquapendentem part. 2. rotā.*
*Plemp. Ophthalm. l. 2. H. Rixner. P.P. Helmstad. Dissert. de modo vi-
dendi Anno 1661.* publici juris factā. *Molinett. c. 2.* aliosque plures.

Lauremberg. Introduc. in Anat. Exerc. II. c. 5. §. 41. ubi incidit in
actionem oculorum, parùm hāc inter se differre autumat; Visio,
inquiens, quomodo fiat, disputant Physici, & tres in scenam profe-
runt Heroas, diversa professos de modo videndi; Platonem per
emissionem radiorum visilium: Aristotēlem per receptionem spe-
cierum visilium: Galenum per utrumque: Non fuislet opus tam
horribile divortium facere inter istos Philosophos, cū nullus à
vero recessisse videatur. Et omnino quamplurimi ludunt in ter-
minis, & confundunt ipsorum oculorum pellucidum, seu radios
transmittens, cum ipsis visivis radiis.

Quò magis concentrati hi feruntur ad oculos, ed meliūs fit
receptio. Quod verò non omnes eādem felicitate gaudeant
visūs, præcipue, quoad remotiora, id non egredientibus ex ocu-
lo radiis imputandum est, sed partim constitutioni ipsius machi-
nae, partim objeci, nisi enim ritè se hāc habeant, & justa accedat
proportio, qua pro ipsā refractione quoq; variat, visio fieri ritè,
nec uno eodemque modo, non potest.

B19
Communi adeoq; hodiè Opticorum, Physicorum, & Medico-
rum Consensu oculi Actio cum Camerâ obscurâ egregiè collata
ad hunc modum explicatur: Egrediens ex Sole Lux totum mun-
dum illuminat, omniaq; corpora tangit à quibus reflecitur, & co-
lore ipsorum tincta ad oculum propellitur.

Cum itaque omnia cujuscunq; corporis puncta in Hemisphæriū totum radient, sit, ut per Conum projiciantur in oculi convexam Sphæram, à quā tamen Radii nonnulli ob densitatem corporis excluduntur, nec plures, quām pupillæ foramen capere potest, intromittuntur. Coni illius vertex est in puncto visibili, Basis in humore crystallino, ejusq; superficie anteriori; Refractio-
ne in corneā verò nonnihil variatur. Inde novus producitur Conus, cuius Basis egrediens ex humore crystallino, tunicā araneā nonnihil alterata in unicum punctum colligitur, ac in retinā depingitur. Cum verò non unum punctum corporis objecti in Oculo depingatur, sed quamplurima, eaq; non in rectâ Lineâ semper sint posita, sit, ut Coni istorum punctorum se mutuò intersecent, & superiora quæ sunt extra oculum, in retinâ inferiori parte, dextra exteriùs, in sinistrâ ejusdem, & vice versa sistantur. Egrediè illud declarant exemplis Sennert. Cons. & dissens. cap. 10. & Kerger. de ferment. Sect. 1. c. 9. S. 3.

Inde ea oritur quæstio intricatissima, quare omnia videamus rectâ, cum tamen ex ante dictis & experientiâ constet, tam in oculo, quām in camerâ obscurâ. Objecta formari inversa?

Alii quidem imperitè id negant; *Alii* refringi & corrigi ab hu-
more crystallino adeoq; rectas exhiberi opinantur species, quod
experienciarum repugnare suprà jam c. 2. diximus; Plurimi verò, &
quidem accuratiores, concedunt etiam in retinâ inversa pingi,
quod & veritatì consentaneum est, ut adeò quoad prius hoc seu
~~in~~ nullum sit dubium, sed ~~in~~ diolii in varias distractrix Auctores
opiniones. *Alii* cum Keplero c. 5. n. 2., omnino ita fieri debere asse-
runt, & erectâ existente picturâ erraturos nos potius, quia, ut loca
respondeant, in passione patientia agentibus è regione oportet
esse opposita. Tum autem perfectè sunt loca opposita, cum idem
centrum mediat in lineis oppositionum omnibus, quod non erat
futurum, si pictura erecta fuisset, itaq; inversâ figurâ, etsi univer-
saliter

840.

saliter & respectu communis alicujus linea dextra sinistris permuntantur, dextra tamen rei dextris pictura, & supera rei superis pictura (sui ipsius respectu) perfectè opponuntur, sicut cavum cavo; ubi latius id deducitur.

Alii communem sensum quasi posticâ parte positum apprehendere species parte anticâ imprescas, ut rectas, afferunt.

Alii cum Cartesio dioptr. c. 4 & 6. sensum animæ principaliter adscribentes hanc ab istâ imagine nihilum aut certè perexiguum contemplari, quæ in fundo retinae situtur, & motum tantum esse, qui moveat animam, & sensum excitet, hanc singula loca cognoscere, quæ jacent in reâ aut quasi rectâ linea, & ita mirandum non esse, corpora in naturali situ videri, quamvis imago in oculo delineata contrarium habeat. Quemadmodum cœcus simul objectum, quod est ad dextram, ope manus sinistre & quod ad sinistram ope manus dextræ animadvertisit.

Alii denique à judicio nostro corrigi volunt depravatam figuram, quod justam rerum magnitudinem, situmq; ex receptis speciebus exilibus discernit, quæ verba sunt Bartholini Anat. reform. l. 3. c. 8. ubi de hâc ipsa re pluribus agitur.

Huic asserto posteriori, præ reliquis probabiliiori, jungimus rationem aliam, quam ex informatione Excellentissimi & Celeberrimi Dn. Weigeli nostri hausimus: Quod scilicet species in retina inversæ, nihilominus judicentur erectæ, prout res ipsæ sunt, dependet à nudâ consuetudine, & ab incunabulis initâ ad se factio-ne. Cum enim Infantes id, quod in imo retinae eos movet, palpando semper deprehendant superius esse, & contrâ; contrahunt inde habitum ita semper existimandi. Deprehendunt autem inferiorius retinae respondere superiori ipsius obiecti, quando non utrumq; simul, sed alterutrum saltem movetur, & utrumq; tamen simul in oculos incidit; hâc enim diversitate motus monentur, ultra pars utri plagæ in retinae respondeat. Accedit, quod palpando identitatem figuræ, quæ objectum cum specie convenit, ex hâc & illâ parte pro exploratâ primùm assequantur, & ita motu simul & figurâ determinant imaginationem.

Celeritatem hujus sensus præter id, quod lumen sit substantia ætherea & penetrans, in nervorum substantiam molliorē, & à principio minus remotam, refert Molinett. c. 2. Binos

820

Binos oculos Naturam concessisse animalibus memoravimus; an necessitatis ergo, nunc veniet disquirendum.

Equidem, ut ex Sennert. Inst. l. i. c. 12. & Camerar. Centur. 2. rer. memorab. num. 65. & 66. patet, I.B. Porta l. 6. de refract. c. 1. nos uno tantum oculo videre placet, quod clarum reddere allaborat, quod interposito inter utrumq; oculum pariete, vel tabulâ uno tantum legamus oculo, altero, licet aperto, nihil videamus. Deinde si quis baculum ante se ita collocaverit, ut rimæ alicujus parietis reæ objiciatur: si sinistrum oculum clauerit, baculus non videbitur à rimâ dimotus, quia unusquisque dextro oculo cernit, ut dextrâ manu præcipue utitur; at si dextrum oculum clauerit, illicè baculus ad dextram partem accedere videtur. Tandem, uti in præcedentibus jam observavimus, exemplo oculorum avium præprimis, qui sunt à lateribus, existimat ideo duos creatos esse oculos, ut ab utroq; latere irruentibus periculis prospiceremus.

Ingenio non caret Porta sententia, intercâ absit, ut ob experimenta varia unico tantum nos oculo uti credamus. Etenim, quod primum Neapolitani argumentum attinet, ad id sciendum, ideo unico tunc nos oculo tantum cernere, quia, dum uterq; oculus motu simultaneo in unicum dirigitur objectum, tabellâ interjectâ alter ab eo munere excluditur, ideoq; non mirum, si illo nihil amplius videatur. Ad secundum ex Plempio & d'U. C. q; notamus, distantias rerum nos exactius utroque oculo percipere. Etenim sit aliquod objectum positum tam propinquū, ut manibus attungi queat, cognoscere illud quidem alterutro oculorum clauso; si verò id contrectare nisu fueris eo in loco, ubi tibi appetet, evenitu frustraberis. Quid, quod & situs objectorum non nisi utroque lumine possit agnoscere. Stet aliquis, quod exemplum est Galeni X. de U. P. c. 12. juxta columnam, deinde utrumque oculum vicissim claudat, columnam, si dextrum cohibuerit, ad dextrum latus declinata; si sinistrum, ad sinistrum flexa; si vero utrumque aperuerit, in medio utriusque collocata, & verum locum, situmque obtinens apparebit. Et hâc ad latera declinatione columnam quædam objecta post illam jacentia nunc manifestat, nunc occultat. Terzio, quod ad usum oculi utriusque à Portâ allatum, optimè is, cum iis, quos superius circa hunc numerum annotavimus, con jungi

847

jungi poterit, neque enim hoc posito, cæteri excluduntur. Quin
verò Natura potuerit unici oculi fabricâ fuisse contenta, præfra-
gè non negaverimus Portæ, cùm ea sit omnipotens. Sequeretur
etiam absurdum, videntem oculum non videre, eo ipso, si altero
perspiciente alter, sanus nihilominus & vegetus, in aetione cessa-
rat. Visio itaque fit utroq; oculo, licet si uno solùm objecta intuea-
mur, magis citra parallaxin, sin duobus, cum parallaxi id fiat.

Diluto istuc dubio, & evictâ, uti nobis videtur, necessitate
utriusq; oculi, ulterius & hoc erit decidendū: Quare, cum utroq;
oculo percipiamus objecta, gemina nobis non appareant omnia?

Ea quidem quorundam est sententia, illud inde fieri, quod
nervi optici in medio viæ conjungantur. Auctores hos rem acu-
non tangere, elegantissimè demonstravit B. Rolf. *Diss. Anat. l. 4. c. 3.*
Conjunctionem hanc nervorum eo potius fini, ut mollissima cor-
pora non rumpantur, & uterq; ad utrumque oculum valeat egre-
di, quod futurum alias erat impossibile, factam esse, edocent alii.

Aliorum mentes, quatenus hanc controversiam dirimere
laborant, proponit Bartolin. *Anat. Ref. l. c.*

B. Schelhammer. *Dissert. cit. coroll. i.* quod res una non appa-
reat gemina, vera causa videtur, ait, unius objecti in eandem u-
triusq; sensorii partem projectio, cui Aquap. part. 3. c. 1. subscribit,
eò referens causam, quod in eodē plano uterq; oculus est positus.

His si adjungamus Laurentium Hift. *Anat. l. ii. c. 4.* motui ocu-
lorum simultaneo id adscribentem, manifestissima emicat veritas.
Ita enim est, si oculum alterutrum digito sursum, seu deorsum mo-
veris, altero in naturali situ relicto, omnia gemina apparebunt,
quod si verò istum clauseris, qui nativum obtinet locum, etiamsi
alterum variè moveris, non apparebunt amplius objecta gemina,
sed pro motus diversitate, vel superiora, vel inferiora. Magno-
perè huc spectant, & legi merentur, quæ Laurentius l. cit. *Ques. 6.*
præclarissimè exequitur.

His ita ad Colophonem perducis, cuvis, qui partium oculi
structuram examinat, & cameræ obscuræ considerationem vocat
in sublidium, facillimè cujusvis s. membranæ s. humoris officium
patebit.

Sub finem tamen recordamur verborum *Illustris Boylii exper.*
de

de color. part. i. e. 5. §. 5. quæ, quin huc adscribamus, non possumus.
 Sic itaq; ille: Non arrogo mihi, reddere tibi, vel etiam mihi, perfectam de Theoriâ visionis & colorum rationem: Etenim ad tale quid suscipiendum, nosse prius vellem, quid sit Lux, & si sit corpus, (corpus autem sanè vel corporis motus esse videtur:) quodnam genus corpusculorum, quoad magnitudinem & figuram, eam constitutat, quâ celeritate illa progrederantur, & circa propria centra rotentur. Deinde, scire naturam Refractionis cuperem, quæ est ex reconditissimis (si explicare eam velis, non speciosè, sed solidè) quas in Physicis deprehendi: Porrò scire vellem, quod genus quique gradus commixturæ tenebrarum, umbrarumque fiat per Refractions, vel Reflexiones, vel utrasq; in superficialibus particulis istorum corporum, quæ collustrata constanter exhibent, unum quidem, exempli ergo caeruleum, alterum flavum, tertium rubrum colorem. Ulterius edoceri cuperem, cur hæc Lucis & umbræ temperatio, quæ fit, verbi gratiâ à cuticulâ maturi cerasi, exhibeat colorem rubrum non verò viridem, & folium ejusdem arboris exhibeat potius viridem, quam rubrum; & postremò, quare, cum Lux, in colores hosce modificata, nonnisi constet ex corpusculis, contra retinam vel Optici nervi medullam motis, non merum ibi det ictum, sed producat Colorem, cum acus, oculum itidem sauciens, non colorem, sed dolorem effet productura.

Quo Viri Maximi effato verissimo Lectori Benevolo tenuitatem meam, & errata, quæ passim in Dissertatione hæc obvia inveniet, excuso. Et si per ipsius licet indulgentiam, verus mihi dictum applico: Qui nunquam male, nunquam bene, fascinationes oculorum censoriorum averruncaturus.

D E O S O L I G L O R I A .

Te videam? loquitor, celebrata parceria fertur
 Philosophi, visum docto è sermone putantis.
 Ut videant patrii Semones, quanta profectus
 promoteat Tua sedulitas intenta gerendis,
 ceu fas est, rebus, loqueris de ponte cathedrae
 publicitus, plaudente choro Charitum atque Medentum.

BURGIO meo PLUS ULTRA! adclamo, & doctè elaborate Di-
 sputationis unaque profectum laudabilium testimoni-
 um ex merito perhibeo

P R E S E S .

Hactenus in studiis benè Te vidisse videnda,
 Hæc Tua de Visu Scripta docere queunt.
 Perge videndo, vide, quecumque videnda videbis:
 Hinc is, qui visus, quique videris, eris!


Job. Fridr. Droschelius. LL. Stud.

153154

X2615746

R

W 17





22
787.

JESU BENEDICENTE!
VISUM,
Inclutæ ac Gratosissimæ Facultatis

Medicæ in Illustri Salanâ indultu,
P R A E S I D E

V I R O
Nobilissimo, Excellentissimo
atque Experientissimo

DN.GEORGIO VVOLFF-
GANGO WEDELIO,

Med. D. Theoret. P. P. Medic. Ducal. Sa-
xonic. & S. R. I. Acad. Nat. Curios. Collegâ, p. t. Facultatis
Medicæ Decano undiquaque supra laudem
spectatissimo,

*Domino Patrono atque Præceptore
ævternūm devenerando,*

*Physiologicè examinandum
in Auditorio Medicorum.*

*ad d. Junii A. R. H. 1674.
placidæ Philiatrorum disquisitioni fistet.*

A U C T O R
JOHANNES Burg/VRATISLAV.-SILES.

J E N Z E, LITERIS KREBSIANIS.